



redit triste feminae cuiusdam exemplum, quod, cum Berolini medicae scientiae addiscendae causa degerem, accidit, quodque cautiores alias reddere poterat, modo non consuetudinis imperio lubentius, quam medico, optimas sanitatis conseruandae praecepta dictanti, obtemperarent. Muliercula scilicet tenella calceis altissimis, in cothurnorum speciem efformatis *) adsueta, primae graviditatis quinto mense, diffracta ab aucto corporis pondere, qua calcaneum innititur, columella lignea, in via publica concidit. E quo quidem lapsu ita terrore commouebatur, vt in proxime adiacentem domum illata, abortum faceret, quem tanta vteri haemorrhagia sequebatur, vt ei sistendae vel experientissimi medici nullo modo pares essent. Itaque misera, lethargo superueniente, tertio die post obiit.

Diu multumque agitata, et a Medicis et a Theologis **) est quaestio de *concubitu* cum grauida femina: an licitus ille sit, nec ne? Nolo hoc loco omnia argumenta repetere, quibus feminas etiam grauidas Veneri litare posse, multi demonstratum iuerunt. In eo potius allaborabo, vt eiusmodi concubitum, nisi per mariti nimium in Veneris castris militandi ardorem plane omittere liceat, certe rarius et maiori cum cautione instituendum esse ostendam. Experientiam hic ducem sequar: non brutorum animalium, post foecundum coitum mares non admittentium, vtar exemplis ***); non ad matrimonii affectum finem, prolis procreationem, respiciam: non iuris canonici scriptorum nitar auctoritate, qui omnes concubitum cum grauida naturae repugnare pertinaces adferunt. Licet KLINKOSCHIVM, auctorem vtique grauem, in medium tantummodo adferre, qui feminam norat, quae quinquies iam abortum fecerat, propterea, quod per grauiditatem cum marito rem habue-

*) De noxa, ex eiusmodi calceis in foetum redundante, vid. laudat. PLATNERVM, l. c. et PET. CAMPERVM *von der besten Form der Schue*.

**) Conf. PAVL. ZACCHIAE *Quaest. med. legal. Libr. VII. tom. 3. quaest. 3 no. 15.*

***) DELEURYE, *Traité des Accouchemens, à Paris 1770, pag. 94.*